darles á conocer cual deberia ser el de la que formaran en España.

24. Ni serviria traer á consecuencia el hecho de que por último se acudió al papa, sin cuyo concordato acaso habria cisma en Francia. Todo es diferente ahora en la Europa entera, y el papa mismo se abstendria de reclamar un derecho cuya pertenencia es ya notoriamente ajena, y cuyo ejercicio seria inútil para los objetos de la curia romana, que se mira en el estado anterior á Carlos magno.

25. ¿Cual seria la suerte de los obispos que negaran su asenso á los decretos reales de reorganizacion del clero español? ¿Que esperanzas podian concebir de prevalecer contra la razon y la autoridad, apoyadas en el evanjelio, en los libros santos, y en la práctica de once siglos? ¿Cual pais católico les ausiliaria en su temeraria empresa? ¿Querrian ir á Roma como muchos franceses en su época? Es verosímil que no lo consintiera el emperador Napoleon. ¿Irian á la Inglaterra? Solo hallarian medios de conservar su vida entre amarguras y escaseces. ¿Les daria consuelo el considerarse mártires de la inmunidad eclesiástica? Ya están descorridos los velos del fanatismo, gracias á Dios, para que nadie nos engañe con argumentos sofisticos y despreciables. Todos los católicos sensatos saben ya distinguir entre la disciplina y el dogma, y que solo este puede ser objeto del martirio.

26. Hablemos claro de una vez para finalizar mi disertacion. Si la Francia dió lugar á disputas en un asunto que no las permite, fué porque el clero era un partido nacional muy fuerte por entónces, y la soberanía no estaba enérjica, ni aun firme.

27. Si despues de haberle dado enerjía y solidéz el primer cónsal, se vino á parar en concordato con el papa, fué porque la política lo consideró útil atendido el estado de la Francia y de la Europa entera.

28. El emperador Napoleon ha dado testimonios evidentes de que sabe no haber sido necesario concordar con

el papa para que los decretos orgánicos del clero francés fuesen válidos, justos, y dignos de puntual ejecucion.

29. Siendo pues totalmente diversas las circunstancias actuales de la España, no debe traerse á consecuencia el suceso de la Francia, sino mandar y ejecutar lo conveniente para la pureza del culto y prosperidad del estado con aquella misma libertad con que lo hicieron los reyes españoles de los once primeros siglos de la iglesia.

APÉNDICES.

Núm. 1.

Carta de S. Cipriano, obispo de Cartago, primado de Africa, al clero y pueblos de Leon, Astorga, Mérida y otros, respondiendo á la consulta que le habian hecho sobre las deposiciones de Marcial, obispo de Mérida, y Basílides, obispo de Astorga, de la cual consta que ácia la mitad del siglo tercero habia provincias eclesiásticas en España conforme á la division civil.

Esp. sagr. tom. IV. Apénd. I.

Cyprianus, Caecilius, Primus, Polycarpus, &c. Felici presbytero, et plebibus consistentibus ad Legionem et Asturicae, item Laelio diacono, et plebi Emeritae consistentibus fratribus, in Domino salutem.

Cum in unum convenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem, et Sabinum, coepiscopos nostros, pro fidei vestrae integritate, et pro Dei timore pervenire fecistis, significantes Basilidem et Martialem libellis idololatriae commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos, episcopatum gerere, et sacerdotium Dei administrare non oportere; et desiderastis res-

cribi ad haec vobis, et justam pariter ac necessariam solicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostrae sententiae sublevari. Sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia, quam divina praecepta respondent, quibus jam pridem mandatur voce coelesti, et Dei lege praescribitur, quos et quales oporteat deservire altari et sacrificia divina celebrare:::: (*prosigue con muchos y oportunos testos de la Escritura*).

Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est, et tenendum quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui praepositus ordinatur, *episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant*, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. *Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, et episcoporum qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio, episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur.*

Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides, post crimina sua detecta et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum, longe positum, et gestae rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallatiae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit: *Deus non deridetur.* Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quo minus ipse quoque delictis gravibus involutus episcopatum tenere non debeat, quando et apostolus moneat et dicat *episcopum oportet esse sine crimine quasi Dei dispensatorem.*

Quapropter, cum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix et Sabinus collegae nostri asseverant, utque alius Felix de Caesaraugusta fidei cultor atque defensor veritatis literis suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriae libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper praelibelli maculam cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit, et se blasphemasse confessus sit, et episcopatum pro conscientiae suae vulnere sponte deponens, ad agendam poenitentiam conversus sit, Deum deprecans et satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret: Martialis quoque praeter gentilium turpia et lutulenta convivia in collegio diu frecuentata, et filios in eodem collegio, exterarum gentium more, apud profana sepulchra depositos, et alienigenis consepultos, actis etiam publicae habitis apud procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriae et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides, et Martialis implicati tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit ejusmodi homines neque ecclesiae Christi posse praesse neque Deo sacrificia offerre debere; maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis, in toto mundo constitutis, etiam *Cornelius* collega noster, sacerdos pacificus et justus, et martyrio quoque dignatione domini honoratus, decreverit hujusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti; ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.

Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligiosus vacillat ut pacifica concordia non perseverat. Praenuntiata sunt haec futura in saeculi fine, et domini voce ac apostolorum contestatione praedictum est, deficiente jam mundo atque appropinquante Antichristo, bona quaeque deficere, mala vero et adversa proficere. Non sic tamen, quamvis novissimis temporibus in ecclesia Dei aut evangelicus vigor cecidit, aut christianae virtutis, aut fidei robur elanguit, ut non supersit portio sacerdotum quae minimè ad

has rerum ruinas, et fidei naufragia succumbat, sed fortis et stabilis honorem divinae majestatis et sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur. Meminimus et tenemus succumbentibus licet cedentibus ceteris, Mathatiam legem Dei vindicasse fortiter, Eliam, judaeis deficientibus atque à religione divina recedentibus, stetisse et certasse sublimiter, Danielem nec solicitudine regionis alienae, nec persecutionis assiduae infestatione deterritum, frecuenter ac fortiter gloriosa dedisse martyria, tres item pueros nec caminis, nec minis fractos contra ignes babilonios fideliter obstitisse, et victorem regem in ipsa sua captivitate vicisse. Viderit vel praevaricatorum numerus vel proditorum, qui nunc in ecclesia contra ecclesiam surgere, et fidem pariter ac veritatem labefactare coeperunt. Permanet apud plurimos sincera mens, et religio integra et non nisi Domino, et Deo suo anima devota nec christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat et exaltat ad gloriam secundum quod beatus apostolus Paulus hortatur et dicit: *¿Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum? ¿numquid, infidelitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Si autem omnis homo mendax est, et solus Deus verax, ¿quid aliud servi, et maxime sacerdotes Dei facere debemus, nisi ut humanos errores et mendacia relinquamus, et praecepta dominica custodientes in Dei veritate maneamus?

Quare et si aliqui de collegis nostris exstiterint, fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant, et cum Basilide et Martiale temerè communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cum Spiritus sanctus in psalmis talibus comminetur dicens: *Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Consortes et participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati; sed et hoc idem Paulus apostolus scribit et dicit: *Susurratores, detractores, aborrentes Deo, injuriosi, superbi, jacitantes sui, adinventores malorum, qui*

eum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt eis qui haec agunt: Quoniam qui talia, inquit, *agunt, morte sunt digni.* Manifestat et comprobat, morte dignos esse, et ad poenam venire non tantum illos qui mala faciunt, sed etiam eos qui talia agentibus consentiunt, qui dum malis et peccatoribus, et poenitenciam non agentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur, et dum junguntur in culpa, sic nec in poena separantur. Propter quod integritatis et fidei vestrae religiosam solicitudinem, fratres dilectissimi, et laudamus pariter et probamus; et quantum possumus, adhortamur literis nostris ne vos cum profanis, et maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram et sinceram fidei vestrae firmitatem religioso timore servetis. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

NOTA.

Por esta carta consta que habia provincias eclesiásticas en España corriendo el siglo tercero; pues diciendo S. Cipriano que para elejir obispos se reunian los mas cercanos de la provincia en que habia obispado, añade que así se habia practicado en la eleccion de Felix para obispo de Mérida en lugar de Marcial, y en la de Sabino para obispo de Astorga en lugar de Basílides; sobre cuyo asunto puede verse lo que dejamos escrito en el artículo tercero de la disertacion.

Habiendo provincias eclesiásticas, y no constando otras que las que se descubren en el primer tercio del siglo cuarto, se infiere que eran las mismas que habia civiles, á saber: Tarraconense, Lusitánica y Bética. Mérida era metrópoli de la Lusitania, y Astorga pertenecía entónces á la Tarraconense.

La carta de S. Cipriano no dice que Felix fuera obispo de Mérida, y Sabino de Astorga; pero consta por otros monumentos de la historia.